

nus periculi, quam prior illa, feliciorem tamen habuit exitum. Dum hæc circa Brixiam geruntur, Nicolaus Æstensis apud Eugenium, qui adhuc Ferrariæ erat, multa de Venetorum in se odio questus, compertum sibi esse dicere, illos validissimam per eos dies classem comparasse. Et quia certo sciret, se in suspicionem venisse, quasi Mantuanus Princeps a Veneto nomine se auctore defecisset, merito suspicari, ingentem illam vim navium in se potius quam in alium quempiam, comparatam. Nec Venetos ignorare, Mantuanum, in quem moturi dicerentur, suis Philippique opibus nixum, injuriam omnem a suis finibus facile depulsurum. Hæc & alia illum querentem lenissimis verbis Pontifex consolari est conatus, atque in meliorem spem erigere: nihil esse affirmans, quod a Venetis metui oporteret: alio omnino illorum spectare consilia: ac si quid suspicionis inesset, daturum se operam ut omnia illi per Venetum salva essent ac tuta. Sed neque his propterea Æstensis destitit ingentem vim equitum comparare, Guidone Faventino cum mille & quingentis equitibus, peditibus trecentis accersito, revocatoque Borzio filio, qui tum Sforcia militabat, cum equitibus sexcentis: quæ omnia ad propulsandam, non inferendam injuriam a se comparari prædicabat. Succidit ad hæc eam soli intercapedinem, quæ est inter Padum & Padusam, ingenti ac præcipiti fossa a flumine ad paludem deducta: estque Ferrarienses hortatus ad arma comparanda, curavitque cohortes aliquot ex Mutina & Regio subito conscribendas. Quæ omnia quia alio aperte tendebant, quam ipse videri volebat, cum Nicolao coram, & cum Venetis per oratores, multa hortando monendoque, Pontifex egit, ut arma jam prope sumpta deponerentur, firmamque inter se sancirent pacem: sed ea conditione, ut Rhodigium cum septem ejus insulæ, quam Polesinum vocant, castellis Æstensi Venetus relinqueret, quæ annos septem & triginta oppignerata tenuisset. Victus Venetorum munificentia, confestim mutato consilio, cœpit ille Venetam classem, quæ jam adverso Pado agebatur, commeatu & rebus

*Nicolaus
Æstensis
res novas in
Venetos mo-
litur.*

Veneti Polesinum Æstensi restitunt.